

# **Caesar, Probeklausur 1**

**Bitte rechts eine halbe Seite Rand lassen!**

Labienus muss in Abwesenheit Caesars gegen die Gallier kämpfen.

1. Prima luce et nostri omnes flumen erant transportati et hostium acies cernebatur. 2.

Labienus milites cohortatus, ut suae pristinae virtutis et tot secundissimorum proeliorum memoriam retinerent atque ipsum Caesarem, cuius ductu saepe hostes superassent, praesentem adesse existimarent, dat signum proelii. 3. Primo concursu ab  
5 dextro cornu, ubi septima legio constiterat, hostes pelluntur atque in fugam coniciuntur; ab sinistro, quem locum duodecima legio tenebat, cum primi ordines hostium transfixi pilis concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugae quisquam. 4. Ipse dux hostium Camulogenus suis aderat atque eos cohortabatur. 5. At  
10 incerto etiamnunc exitu victoriae, cum septimae legionis tribunis esset nuntiatum, quae in sinistro cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt signaque intulerunt. 6. Ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, sed circumventi omnes interfectique sunt. 7. Eandem fortunam tulit Camulogenus.

8. At ii, qui praesidio contra castra Labieni erant relict, cum proelium commissum audissent, subsidio suis ierunt collemque ceperunt neque nostrorum militum victorum  
15 impetum sustinere potuerunt. 9. Sic cum suis fugientibus permixti, praeter eos, quos silvae montesque texerunt, ab equitatu sunt interficti. 10. Hoc negotio confecto Labienus revertitur Agedincum<sup>1</sup>, ubi impedimenta totius exercitus relicta erant; 11. Inde cum omnibus copiis ad Caesarem pervenit.

**Haben Sie rechts eine halbe Seite Rand gelassen?**

---

<sup>1</sup> Agedincum, i. n. - Hauptstadt der Senones in Gallien.